n.8.Francus ibi,§.Nullus,n.3.Felinus c.De quarta,n.33.verſ.Nihilominus,de præſcript.& c.Rodulphus,n.38.limitat.5.de reſcrip. Marianus Socinus ſenior c.Iudæi,el 2.n.14 de Iudæis, & alios citans Tiraquel.l.Si vnquam,v.Reuertatur,in noua editione,num. 268. C.de reuocat.donat. Angelus de maleficiis, v.Et eius bona publicamus,n.24.Lud.Gomez c.1.n.9.de reſcript.in 6.Couarr.4. Decret.2.p.c.6 §.8.n.8.Tabiena in Summa,v.Aſſaſinus,q.vnica, n.3.Tello l.4.Tauri,nu.45.initio.Conradus de contractibus qu.7. concluſ.3.Leonardus lib.2.de iuſtitia,c.29.dub.8.num.64. Azor tomo 1.inſtit.moral.lib.5.c.7.qu.5. Sayro in claui regia,lib.3.c.9. n.30.Scaccia de iudiciis,lib.1.c.98.n.12.Molina tom.1.de iuſtit. diſp.96.col.vltima.

195 At dubitatur de fructibus perceptis à tertio poſſeſſore, in quem bona illa deuenere, & ſunt alienata poſt delictũ. Et quidem Montepicus l.Poſt contractum,n.192.ff.de donat. Angelus in Summa,v.Pœna,n.3.& ibi Syluest.q.25. abſolutè docent fiſcum reuocare rem illam cum fructibus, apud quemcunque poſſeſſorem exiſtat.

196 Sed eſt diſtinguendum, an tertius ille poſſeſſor ſit bonæ fidei, quia delictum alienantis ignorauit, aut malæ, quia id nouit. Quando eſt bonæ fidei, dicit Peregrinus de iure fiſci,lib.5.tit.1.n.174.abſolutè hunc non teneri reddere fructus.Idem ait Burſatus conſil.43.nu.8.& 9.vol.1.quando fructus ſunt conſumpti, & ipſum ſequitur Surdus deciſione 247.n.11.p.1.

197 Verùm dicendum eſt hunc eodem modo teneri, quo poſſeſſor bonæ fidei, nempe, ad fructus omnes extantes: ad conſumptos verò quatenus ditior euaſit. Et ſic intelliguntur Doctores nu.præced.relati. Quia par eſt ratio de hoc,& de aliis poſſidentibus bona fide. Et ita docet Vaſquez 1.2.q.96.a.5.diſp.172.c.1.n.3.& 4. Quare tenendo reliquos bonæ fidei poſſeſſores non teneri ad fructus induſtriales cõſumptos, etiam ſi ditiores euaſerint, eſt idem de hoc dicendum.

198 Limitat Burſatus relatus n.196. vt hoc intelligatur vſque ad iudicium inchoatum, quaſi ex tunc teneatur etiam ad conſumptos. Et Simancas de Cathol.inſt.t.9.n.59.ait ex tempore litis conteſtatæ incipere hunc eſſe malæ fidei, & ac talem teneri. At hoc intellige vt explicui n.193.

199 Si autem ſit malæ fidei poſſeſſor, quia, nempe, nouit delictum, tenetur ad omnes fructus perceptos, extantes, & conſumptos, inſtar aliorum poſſeſſorum malæ fidei. Quia etſi donatione, aut alio contractu rem illam ab hæretico accipiens, non deliquerit, ac fiat illius dominus; at accepit rem illam obligatam à tempore delicti reſtitutioni illius cum fructibus, poſt ſententiam ſecutam: cui obligationi ſe ſubiecit ratione rei. Ita docent Burſatus eod.conſ.43.n.10. Simancas eod.tit.9.n.58.& 59. Vaſquez eo c.1.n.5.

200 Sed dubium eſt, an teneatur hic de fructibus qui percipi potuere: Et videtur teneri: nam tenetur inſtar poſſeſſoris malæ fidei, at hic ſaltem in foro externo ad hos tenetur. Item quia Lud.Gomez c.1.nu.9.de reſcript.in 6. ait teneri ipſummet, cuius bona publicantur ipſo iure, ad fructus qui percipi potuere. Sed Bernardus Diaz in ſua practica, in noua edit.c.131 n.6. ait ipſum delinquentem non teneri ad fructus qui percipi potuere, ſed ad ſolos perceptos. Et ita credo, quia non verè eſt detentor rei alienæ, eò quod vel dominium retinet ſuorum bonorum, aut ſaltem iuſtam poſſeſſionem, donec damnetur.

201 Ex quo deducitur, à fortiori tertium illum poſſeſſorem malæ fidei nõ teneri ad fructus qui percipi potuere. Quòd non tenea[illegible]d plus, quàm verus delinquens. Item quia poſſidet cu[illegible]ulo, vtpote quide[illegible]tione aut alio contractu recep[illegible]elinquenti: in[illegible]recipiens à prædone ten[illegible] de his o[illegible]pi potuerunt, vt diximus n.98.

202 Imò nec ter[illegible]o ad eos, quos verè percepiſſet delinquens ille re[illegible]am apud ſe habens. Quia etſi ad hos teneatur vero domino poſſeſſor malæ fidei, id euenit, quia in iis illi nocuit: at hic non nocuit in his delinquenti, qui erat verus dominus, aut ſaltem habebat legitimum alienandi ius ante ſententiam, cùm ex eius voluntate rem illam acquiſierit. Nec etiam fiſco nocuit, non enim tenetur illi in plus, quàm delinquens: at hic non tenetur fiſco ad fructus quos percepiſſet, & incuria ſua non percepit. Nec enim tenetur operari fiſco.

203 Si tamen quiſpiam mala aliàs fide rem illam delinquentis accepiſſet, vt furans, aut ab alio iniuſto poſſeſſore, tenetur fiſco, eo modo quo ipſi delinquenti tenebatur, nempe, ad fructus, quos inde percepiſſet delinquens, deductis expenſis, & mercede laboris & induſtriæ. Quia hoc modo tenetur delinquenti, in cuius ius ſuccedit fiſcus. Atque in foro externo teneretur etiam ad fructus, qui inde percipi potuere, eo modo, quo diximus nu.98. teneri poſſeſſorem malæ fidei, abſque titulo. nam titulo caret, quando ipſe furatus eſt. Si verò donatione, aut alio contractu accepit eam à fure, non tenebitur ad hos, iuxta ibi dicta: quia habet titulum.

204 Tandem ſi meliorationes in re confiſcata ſint factæ, ait Vaſquez 1.2.q.96.a.5.diſp.172.c.1.n.1. eas ad fiſcum pertinere reuocato contractu, ſolutis expenſis tertio illi poſſeſſori. Quia tranſeunt ad quemcunque cum eo onere & obligatione, quibus affecta erat res illa apud delinquentem tempore alienationis. Quod quidem eſt intelligẽdum, quando eæ meliorationes cedunt dominio rei. Quod quando contingat, diximus num.105. Et circa expenſas illarum nil nouum eſt dicendum, ſed idem prorſus quod de illis deducendis à ſimilibus poſſeſſoribus, diximus à n.135.vſque ad 147.

CAPVT XXIV.

Qualiter hæreticus ſit teſtandi incapax, & filij liberentur patria poteſtate, & omnes fidelitate debita hæretico, & ſerui eius ſeruitute?

SVMMARIVM.

An hæreticus teſtari valeat, & teſtamentum ſit irritum? n.1.2.3.& 4.
Qualiter amittantur patria poteſtas, & eius effectus, & omnis obligatio per hæreſim n.5.& 6.
An pater filium hæreticum alere teneatur, vel econtra: & quoties bona publicantur n.7.
An debens aliquid hæretico, teneatur ipſi ſoluere n.8.
Qualiter ſerui per domini hæreſim fiant liberi, & fœtus ancillæ ante ſententiam conceptus ſit liber à n.9.vſque ad 23.

1 Circa poteſtatem hæretici ad teſtandum, ſi ius ciuile & regium attendamus, poterat teſtari, inſtituendo tamen Catholicos hæredes, auth.Vt cùm de appellatione cognoſcitur, §.Siquis de prædictis parentibus, verſ.Generalem, & l.regia 7.t.7.partit 6.& l.2.t.26 partit.7. At ſtãdum eſt in iure canonico c.Excõmunicamus, el 1 §.Credẽtes, de hæret. vbi eum inteſtabilem eſſe decernitur. Quod bene tradunt Greg.Lopez ea l.7.v.Catholicos, & ea l.2. v.Deſus fijos. Simancas alios referens de Cathol.inſtit.t.9.à n.3.Tello lib.4.Tauri n.34.Peña in directorio Inquiſitorum 2.p.commento 9.

2 Quod quidam extendunt, vt habeat verum etiam non ſecuta ſententia criminis declaratoria. Quia textus d.§.Credentes, ſic dicitur: Sit inteſtabilis. At verbum, ſit, importat canonem latæ ſententiæ, vt teſtantur multi, quos refert Tiraquellus l.Si vnquam, v.Reuertatur, in noua edit.n.180.C.de reuoc.donat. Et de apoſtata videtur probare l.regia 5.tit.25.partit.7. ibi: Apoſtata no puede fazer teſtamento, deſde el dia que apoſtatò. Ita docẽt Peregrinus de iure fiſci, lib.5.t.1.n.172.verſ.Notandum tamen. Meres de maioratu, in 1 edit.p.1.q.1 n.91. Ceruantes l.4.Tauri n.40.& videntur clarè tenere Greg.Lopez l.4.fine,t.26.partit.7.& Peña in directorio 3.p.comm.165.verſ.Rurſus, vbi dicunt hæreticum à die commiſſi criminis eſſe incapacem teſtandi. Et videtur tenere Couar.Clem.Si furioſus,1 p.§.2.n.2.vbi ait ſodomitam nondum condemnatum nequire teſtari, eò quòd infamis ſit, & à die patrati criminis dominio omnium bonorum priuatus. Quod fortius in hæretico militat,& Aragon 2.2.q.11.a.3.f.348.col.1.corol.4. vbi ait teſtamentum eſſe nullius roboris, quia eſt de bonis iam ad fiſcum pertinentibus.

3 At certius eſt, poſſe teſtari ante ſententiam criminis declaratoriam, & ea ſecuta reuocari teſtamentum, ſicut & quaſ-

quaſcunq; alienationes per ipſum factas. Ducor, quia ſimiliter prohibetur omnis alienatio bonorũ ab ipſo facta, & tamen ſuſtinetur ante ſententiam, ita vt accipiens ſit tutus in conſcientia vſq; ad illã. (Vt probauimus c.22.n.52.) Cur ergo non dicemus idem de teſtamento? Secundò, quia d.§.Credentes, vbi hæc pœna imponitur, dicitur: Sit inteſtabilis. At verbum, Sit, cùm ſit futuri temporis, importat ſententiam ferendam. Vt communior ſententia teſtatur, quam multos referens tuetur Tiraquellus eo v.Reuertatur, n.182.& 183. Tertiò ex l.regia 16.fine,tit.1 partit.6. ibi: Los hereges deſpues que por ſentencia ſon condenados de heregia, no pueden fazer teſtamento. Vbi Gregor.Lopez v.Deſpues, ait teſtamentum antea factum eſſe irritandum, vbi non dixit eſſe irritum ipſo iure. Et l.4.fine,t.26.partit.7. No deue de valer ſu teſtamento deſde el dia que fuere juzgado por herege. Nec obſtat Gregor.Lopez ibi, in fine, dicere corrigi per ius canonicum. Quia ſi lex illa intendat ſententiam confiſcationis non retrotrahi ad reuocanda teſtamenta facta à die cõmiſſi criminis, fateor eam iure canonico corrigi: ſi verò intendat non eſſe omnino irrita, donec hæreticus declaretur, non inuenio vbi iure canonico corrigatur. Atque ideo hanc ſententiam tenet loquens de crimine læſæ maieſtatis humanæ, Decianus in ſua practica lib.7.c.40.n.10. Et in crimine hęreſis in hanc inclinat, etſi dubius, Tello l.4.Tauri, n.34. Et tenet Salzedo in practica Bernardi Diaz c.86.verſ.Punitur etiam. Et melius Molina tom.1.de iuſtit.diſp.95.col.12.verſ.Secundum eſt. vbi ait licitè poſſe hæreticum ante condemnationem bona ſua transferre in alium donatione, aut vltima voluntate. Idem Vaſquez 1.2.q.96.art.5 diſp 171.c.1.n.11. vbi ait poſſe eum, cuius bona ſunt ipſo iure publicata, relinquere ex teſtamento hæreditatem filiis, & filios poſſe capere ex teſtamento, & ab inteſtato.

4 Imò & poſt ſententiam poterit de bonis non publicatis teſtari. Quia ius canonicum interdicens illi teſtari, intelligitur de bonis quæ publicantur. Et ſatis fauet l.regia 4.Tauri, hodie l.3.tit.4.lib.5.nouæ recopil. concedens generaliter teſtandi facultatẽ quibuſcunque reis, de bonis non publicatis. Atque ita docent Caſtillo ea l.4.Tauri, v.Fueren confiſcados, & ibi Auendaño gloſſa 7.n.11. Et inclinat, quamuis dubius, Matienzo eod.t.4.l.3.gloſſa 7.n.5.

5 Circa patriam verò poteſtatem, & omnem obligationem fidelitatis debitam hæretico, certum eſt per hæreſim paternam eximi filios à patris poteſtate, ac ſui iuris fieri. Habetur expreſsè c.2.§ finali, de hæret.in 6. Hoc extendit Eymericus in directorio Inquiſitorum 3.p.q.116.ad filios receptatorum, defenſorum & fautorum hæretici. Sed meritò id reiicit Peña ibi, commento 165. quòd nullo iure hæc pœnæ extenſio probetur. Atque c.finali, de hæretic. decernitur omnes aliqua obligatione hæretico aſtrictos, ſiue iuris iurandi, ſiue fidelitatis, ſiue obſequij, ſiue alterius pactionis aut promiſſionis liberari. An verò coniux fidelis poſſit hæretico debitum negare, & ab eo diuertere: ſatis diximus lib.10.de matrim.diſp.15.& 16.

6 At dubium eſt, an pœna hæc ſententiam criminis declaratoriam exigat? Azor tomo 1.inſtit.moralium, lib.8.c.13.q.1. refert tacitis auctorum nominibus, quoſdam ſentire pœnam abſolutionis ab omni fidelitatis debito incurri, etſi hæreticus occultus ſit. Alios autem refert dicentes non incurri, niſi denunciatus excommunicatus ſit, aut notorius clerici percuſſor. Atque in noſtris terminis, Simancas de Cathol inſtitut.tit.9.n.206. ſatis obiter, & nulla ratione adducta, docet exigi ſententiam criminis declaratoriam, vt filius patris hæretici poteſtate liberetur. Eiuſdem ſententiæ videtur Azor tom.1.inſtitut.moral.lib.8.c.13.q.1.nam initio illius capitis dixerat omnem obligationem cum hæretico contractam ceſſare per hæreſim, & filios effici ſui iuris, nec valere ſubſtitutionem pupillarem. Et ſtatim q.1. generaliter quærit, an huiuſmodi pœnis occultus hæreticus afficiatur. Et concludit dicens ſe exiſtimare omnes obligationes, quibus aliqui ſunt hæreticis aſtricti, ſtatim ceſſare, ita vt hæreticus ius non habeat, ſicut nec habet bonorum dominium: at poſſeſſionem retinere, donec crimen iudicis ſententia declaretur. Sed verius eſt, ſtatim nulla exſpectata ſententia filios effici ſui iuris. Quia c.2.§.finali, de hæreticis, in 6. appellantur filij ſui iuris; & dicitur emancipationem factam antequam pater declaretur hæreticus, eſſe nullius momenti, quaſi patria poteſtas ad eius valorem petita ceſſarit. Et ita tenent Gloſſa ibi v.Deſierint. Caſtro lib.2.de iuſta hæreticorum punitione, c.7.Peña in directorio Inquiſitorum 3 p.q.116.commento 165. Molina to.1 de iuſtitia, diſp 9.col.7.verſ.Ab hac regula, & diſp.229.in tertio modo liberationis à patria poteſtate. Azor to.1.inſtit.moral.lib.2.c.22. q.6. Rebellus de iuſtitia p.1.lib.1.q.7.ſect.2.nu.23. Sayro in claui regia, lib.3.c.9 n.30.& lib.9.c.7.n.7. Leonardus lib.2.de iuſtit. c.3.dub.[illegible] nu.13.fine. Quare emancipatio & ſubſtitutio pupillaris facta ab hoc hæretico non valebunt. Vt bene tradunt Caſtro & Peña ibidem. Quia pater caret iam patria poteſtate ad horum valorem petita.

7 Sed difficultas eſt, an eximatur quoque filius ab obligatione naturali alendi patris pauperis, ob patris ipſius hæreſim. Et quidem quando ſtatuto, aut lege cauetur bona patris publicari, reſeruando aliquas portiones filiis ex bonis patris ipſi omnino ablatis, frequentiſſima eſt ſententia non aſtringi filios ex his bonis patri ablatis, ac reſeruatis ipſis, ad alendum patrem. Diciturque ex c.1.§.Siquis hominem, de pace tenenda, & eius violatoribus, in vſibus feudorũ. Ita tradunt Baldus auth.Bona damnatorum, n.4.verſ.Hic quæro, C.de bonis damnat. Tiraquel. alios referẽs, de tractatu lignagier, §.1.gloſſa 9.n.72.Ioan.Lupus rubrica de donat.inter vir.& vxor.§.64.n.13.& l.10.Tauri, n.9. explicans in hoc poſteriori loco, niſi filius habeat alia bona. Surdus conſ.116 n.25. lib.1.& de alimentis tit.1.q.13.n.23 & q.36.n.2.& 14.& tit.7. q.14.n.17 & n.28.& t.9 q.25 n.59.& q 32.n.10.& q 38.n.4. Et alij multi, quos refert Zauallos in ſuis communibus, tom.3. q.779.nu.153. At iure optimo latiſſimè & optimè Zauallos ibi à num.154. plura adducens, & probans eum textum nil prorſus probare, impugnat hanc ſententiam. Nec amplius in hoc inſiſto, eò quòd ſit extra præſens intentum. Sed ad noſtros hæreſis terminos deſcendendo, quibuſdam placet teneri filios Catholicos ad alendum patrem hæreticum. Quia hæc obligatio ex iure naturali oritur, nec eſt aliquod ius humanum illam auferens in pœnam patris. Non ergo eſt filius ab illa eximendus. Sic ſentire videtur Gloſſa c.1.v.Fideles, d.30. vbi patrem hæreticum egentem ait præferendum extraneo Catholico in eleẽmoſyna à filio eroganda. Quod eiſdem verbis tradit l.regia 8.tit.23. partit.1. Et tenent Caſtro lib.2.de iuſta hæretic.punit.c.7. Surdus de alimentis tit.1.q.18.n.3.& q.19.à n.3. Cæterùm verius eſt non teneri, niſi pater extremè indigeat. Quod docent Lara l.Si quis à liberis, §.Etſi impubes, nu.10.ff de liberis agnoſc. Surdus de alimentis tit.7 q.14.à n.29.vſque ad 25.& ſic explicat legem regiam in contrarium allegatam, & locum ipſiuſmet hic relatum, vbi dixerat teneri filium, vt intelligantur in extrema hac neceſſitate. Fundamentum autem eſt, quòd maiori vinculo ſit pater aſtrictus ad filios alendos, quam è contra, vt ex ſe conſtat. At pater non tenetur alere filium hæreticum. Vt cum aliis optimè probat Surdus de alimentis t.7.q.2.à n.6. contra alios, quos ibi refert nu.5. Quia pater poteſt filium hæreticum exheredare. Vt conſtat ex authent. Vt cùm de appellationib.cognoſc.§ Cauſas, verſ. Si quis de prædictis, & l.regia 7.tit.7.partit.6. At frequentiſſima eſt Auctorum ſententia, quam multis citatis optimè tradit Molina de primog.lib.2.c.16.n.1.& duplici ſequenti, vt ex eiſdẽ cauſis, ex quibus poteſt filius exheredari, poſſint ei negari alimenta extra neceſſitatem extrem[illegible]. Similiter ergo filius non tene[illegible]ur ad alendum patre[illegible] hæreticum extra dictam neceſſitate. Præterea qui cù[illegible] ſint correlatiua, diſpoſitum in vno cen[illegible]r in alio diſp[illegible]ni.

8 Dicendum tamen eſt, debe[illegible]liqu[illegible] hæretico, tenetur ipſi ſoluere, donec condemnetur. Quia poſſeſſionem & adminiſtrationem ſuorum bonorum habet. At ſecuta condemnatione nequit hæretico ſoluere, ſed fiſco, ad quem vniuerſa hæretici bona pertinent. Ita Azor to.1. lib.8.inſtit.moral.c.13.q.2. Quamuis Abbas quem ibi refert, & Caſtro lib.2.de iuſta hæretic.punit.c.7.paulò poſt principium, dicant etiam ante ſententiam teneri hunc fiſco ſoluere.

Quia ipſi in ea ſunt ſententia, vt hæreticus teneatur ante condemnationem bona fiſco reſtituere.

9 Circa vltimum tractandum, nempe, qualiter ſerui hæreticorum libertatem acquirant. Quidam cenſent non acquirere, ſed ad fiſcum pertinere, ac cum aliis hæreticorum bonis publicari. Quia nullus reperitur textus ea libertate illos donans. Ita *Ioan. Andr. c. 2. nu. 5. ad finem, de hæret. in 6. & ibi Dominicus fine. Ananias c. fin. n. 4. de hæret. & ibi Marianus Socinus.* Et quidam iuriſperiti Luſitani, qui conuenere ad iudicium de hac re ferendum. Vt refert *Molina n. ſeq. allegandus.* Et eſt ſatis probabile.

10 At verius eſt, Christiana hæreticorum mancipia libertate donari. Quod probatur ex *l. Manichæos, 4. fine, C. de hæret.* & ita explicat illam *Gloſſ. ibi, v. Extra noxam.* & ex *c. fin. de hæretic.* quod omnes obligatos hæretico declarat abſolutos à fidelitatis & dominij debito. Nec obſtat ſi dicas inde tantum colligi ea libera manere à domini obſequio, non tamen abſolutè libera, ſed tranſire in fiſci dominium. Sicut contingit in mancipiis infidelibus, quæ obſequio domini liberantur: non tamen libera ſunt. Quia hanc ſolutionem, & alias, quæ traduntur aliis textibus, quibus hæc ſententia confirmatur, optimè confutat *Molina to. 1. de iuſt. tota diſp. 40.* vbi latiſſi nè hanc libertatẽ probat. Idem ſuſtinent *Caſtro lib. 2. de iuſta hæretic. punit. c. 7. Simancas de Cathol. inſtit. t. 61. n. 8. Peña in directorio Inquiſitorũ 3. p. q. 119. commento 168.* vbi inſtructionem quandam Hiſpalenſem affert, in qua hoc deciditur. *Azor to. 1. lib. 8. inſtit. moral. c. 12. q. 7. & l. 5. c. 7. q. 8. Idem Simancas eodem tract. t. 9. n. 96. Decian. in ſua pract. l. 5. c. 44. n. 22. Vaſquez 1. 2. q. 96. a. 5. diſp. 169. c. 2. n. 19. verſ. 12. & diſp. 172. c. 3. n. 15.*

11 Hinc deducitur mancipia quæ Chriſtiana non ſunt, minimè manere libera: ſed ad fiſcum cum aliis hæretici bonis pertinere. Quia nullo iure libertas illis conceditur. Ita *Peña, Molina, Azor n. præced. allegati.* Qui tamen hoc intelligit, niſi Catholicæ religionis ſtudio dominos hæreticos denunciarint: vel niſi ſerui illi catechumeni ſint. Quia in hoc duplici caſu cenſet *Azor* manere ſeruos liberos. At *Peña ibidem* tantum ait rationi conſonum eſſe, vt in his caſibus libertate donentur. Et ego ita credo, & ideo non eo ipſo eam libertatem conſequi. Quòd de ſolis Chriſtianis id ſtatutum ſit.

12 Secundò deducitur, hæreticum, cui intra gratiæ tempus redeunti, bona beneficio principis reſtituuntur, minimè ſeruorum dominium recuperare. Quòd libertas ſemel acquiſita reuocari non debeat, *l. 1. & 2. C. ſi aduerſus libert.* Ita *Simancas de Cathol. inſtit. tit. 61. n. 9. Peña & Molina relati n. 10.*

13 Hanc tamen libertatem acquiri cum effectu intelligo poſt declarationem hæretici à iudice factam: atque eam ſententiam retrotrahi vſque ad diem commiſſi criminis. Sicut n. 5. explicuimus ceſſare patriam poteſtatem, ac omne fidelitatis debitum. Et eadem ratione probatur.

14 Intellige tamen mancipia Chriſtiana acquirere hanc libertatem, ſi ante domini hæreſim poſſeſſa ſint. Nam ſi poſt hæreſim, ſi iure hereditario, aut legati donationisve, dicendum eſt ſicut de aliis ſic acquiſitis diximus c. præc. n. 2. Si verò ludo, emptione aut alio contractu, pertinebũt ad fiſcum. Quia à tempore hæreſis non acquiſiuit hæreticus dominium ſerui, ſicut nec aliarum rerum. Et ideo iudicandum eſt de his ſeruis, ſicut de aliis rebus poſt hæreſim acquiſitis. Quòd ſi acquiſiti ſint poſt hæreſim, at tempore qu[illegible] reuerſus dominus reſipuerat ab hæreſi, ac Catholicu[illegible]t, non acquirent l[illegible]tatem. Quia bona tunc acquiſ[illegible]n perdit hær[illegible] t[illegible] c. 14. n. 23.

15 Quando [illegible] iuxta [illegible] ſeruus libertatem acquirit: maius dub[illegible] ſis caſibus id diiudicare. Quia aliquando ſeru[illegible] ri hæretici, qui dotẽ & reliqua vxoris bona, aut aliorum debita ſoluendo non eſt. Aliquando fuit datus in dotẽ viro hæretico. Quandoq; eſt conſtante matrimonio acquiſitus. Aliquando eſt multorũ heredum habentium hæreditatẽ indiuiſam, & vnus ſolus eſt hæreticus. Hi ergo caſus explicandi ſunt. Tota autem res hæc pendet ex cognitione veri dominij illius ſerui, ad diiudicandum fiat liber, nec ne. Nam ſi coniux, cuius eſt dominium, incidit poſtea in hæreſim, manet ſeruus liber, præterquam in vno, vel altero caſu. Vt ex ſequentibus corollariis conſtabit.

Hinc primò deducitur, effici ſeruum liberum, ſiue vir, 16
ſiue femina illum attulerit, etiam ſi hæc tradiderit illum in dotem viro, quando poſt ſeruum acquiſitum, & ante initum matrimonium, coniux qui erat dominus, incidit in hæreſim. Ratio eſt, quia iam ille ſeruus à tempore hæreſis domini liber erat. At libertas ſemel acquiſita reuocari nequit. Vt n. 12. diximus.

Secundò deducitur, ſi vir poſt matrimoniũ in hæreſim 17
incidat, & attulerit ipſe ſeruum, ſi habet aliunde bona, quibus ſoluat dotẽ, arrhas, & paraphernа vxori, eum manere liberum. Quia dominus eſt hæreticus: ac nihil eſt ei libertati obſtans. At ſi dominus non ſit hæc ſoluendo, nõ manebit ſeruus liber, donec vel ipſe, vel alius pro eo, ſerui æſtimationem ſoluat. Ratio eſt, quia omnia bona viri ſunt tacitè hypothecata pro his vxoris bonis, *l. 17. t. 11. partit. 4.* tradit cum aliis *Couar. 1. var. c. 7. n. 1.* Et cùm hæc hypotheca ante delictum contracta ſit, præferenda eſt. Vt docent multi, quos refert ac ſequitur *Caſtillo li. 77. Tauri, n. 10. verſ. Quæro pro iſtius.* Itẽ quia amiſſio bonorũ hæretici nõ debet aliis innocentibus damnoſa eſſe: ſed ius ſuum eſt omnibus reddendum. Pœna enim vnius alteri nocere non debet. Vt bene probat *Simancas de Cathol. inſt. t. 9. n. 64.* Quare idem dicendum eſt, vbi talia bona eſſent aliis debitis hypothecata: quibus non eſſet ſoluendo maritus. Cùm enim hypotheca hæc ſit ante hæreſim, eadem ratione præferenda eſt: & dicendum quod diximus de bonis vxoris.

Tertiò deducitur, quando vxor attulit ſeruum, ac poſt 18
matrimonium ſit hæretica, ſic diſtinguendũ eſſe. Si attulit in bona paraphernа, aut matrimonio iam inito, dum adhuc perſeuerauit in fide, acquiſiuit hæreditate, legato, aut dono ſeruum illum, manet liber. Quia ſeruus erat vxoris, ac proinde ob hęreſim amiſit dominium illius. Si attulit in dotem, ſi dos fuit inæſtimata, aut (quod idem eſt) tali æſtimatione quæ ſerui illius venditionem non faciat, tunc ſi vir eſt hæreticus, nõ manet ſeruus liber. Manet autẽ liber, ſi vxor hæretica ſit. Ratio eſt, quia tunc dominiũ ſerui non eſt viri, ſed vxoris: & impropriè, ac figmento iuris dicitur vir dominus ad eos ſolos effectus, quos ius explicat *l. In rebus, C. de iure dotium.* Et eſto diceremus cum aliquibus virum eſſe dominũ dotis huiuſmodi, non obſtaret huic ſententiæ. Nam taliter eſt dominus, vt nullo modo poſſit alienare, nec per contractũ, nec per delictum, ſed in eadem ſpecie reddi debet. Vt bene docet *Ant. Gomez l. 50. Tauri, num. 42.* Si verò dos data eſt æſtimata ea æſtimatione quæ emptionem faciat, & vir eſt ſoluendo dotem aliis bonis, eſtque ipſe hæreticus, manet ſeruus liber. Quia tunc eſt ſeruus ſuus, & ſolam æſtimationem ſoluere tenetur vxori, quando dos ipſi reddenda ſit, *l. Quoties, C. de iure dotium.* Et tradit cum aliis *Ant. Gomez d. l. 50. n. 44.* Quare ſi ſola vxor eſſet in hoc caſu hæretica, non manet liber. Quia ipſa eius ſerui dominium non habebat. Si autem in hoc caſu vir non eſt ſoluendo dotem aliis bonis, & ipſe ſit hæreticus, non manebit ſeruus liber, donec ipſe ſeruus, vel alius pro eo ſoluat pretium. conſtat ex dictis in corollario præcedenti. Quæ à fortiori habent locum in hoc caſu: cùm vxor dominium vtile & ſubſidiarium habeat, quando dos æſtimata reperitur in ſpecie, & vir non eſt illam ſoluendo, ac ideo poteſt illam vxor vendicare, ac præfertur in illa quibuſcunque viri creditoribus, *l. In rebus, C. de iure dotium.* Et cum aliis tradit *Couar. practicis quæſtion. c. 28. n. 8.* Si verò ſeruus, vel alius pro eo pretium offerat, manebit liber. Quia re vera dominium erat mariti, & tantum vxor in ſubſidium & defectum bonorum, quibus ſoluatur ſibi dos. Quare ſicut tertius, cui vir ſeruum vendidiſſet, ſatisfaceret vxori volenti ſeruum vendicare defectu bonorum viri, offerendo ei æſtimationem. (Vt bene probat *Couarru. eo n. 8.*) ſic & ſeruus. Quia ſicut ille tertius qui ſeruum emerat, eſt creditor viri: ſic ſeruus reſpectu libertatis. At ſi in hoc caſu vxor eſt hæretica, non manet ſeruus liber. Quia

Quia re vera non habebat dominium directum illius ſerui, ſed vtile, & ſubſidiarium. Nec vxori quidquam debetur verè pręter pecuniam: quam quocunque reddente nomine viri volentis ea ſoluere vxori, vxor nullum ius haberet ad ſeruum. Quare cùm ſeruus ſuccedat loco pecuniæ debitæ vxori, ſuccedet fiſcus in eo ſeruo, ſicut in quibuſcunque pecuniis debitis vxori. Item quia tunc redit hoc dominium ad vxorem, quando dotem amiſit, quia declarata eſt hæretica: & vir compellitur dotem fiſco tradere. At iam fiſcus ius acquiſierat.

19 Quartò deducitur, ſi ſeruus cõſtante matrimonio ante hæreſim emptus ſit, ſic diſtinguendum eſſe. Si fuit emptus pecunia dotali, ex vxoris conſenſu, ſi ipſa eſt hæretica, manet liber: ſecùs autem ſi vir ſit hæreticus. Quia vxor habet dominium huius ſerui, & non vir, *l. Res quæ, ff. de iure dotiũ, & l. regia 49. t. 5. partit. 5.* Vbi *Greg. Lopez v. Voluntad,* & cum aliis tradit *Ant. Gomez l. 50. Tauri, nu. 36. fine.* Si verò abſque conſenſu vxoris, & vir eſt ſoluendo dotem aliis bonis, ſi ipſe eſt hæreticus, manet ſeruus liber: ſecùs ſi vxor hæretica ſit. Ratio eſt, quia ille ſeruus non eſt vxoris, ſed viri, *l. Ex pecunia, C. de iure dotium, & Ant. Gomez d. n. 36. fine.* Si autem vir non ſit ſoluendo dotem aliis bonis, & vir eſt hæreticus, non ſit liber ſeruus, donec æſtimationem ſoluat. Si verò ipſa eſt hæretica: nullatenus fiet liber. Quia dominium directum eſt viri, & vxor ſolum habet dominium vtile, & ſubſidiarium. Vt tradunt *Greg. Lopez & Ant. Gomez proximè allegati.* Quare fiſcus habebit ius, vt vir tradat ſibi ſeruum, vel æſtimationem. Vt diximus in ſimili caſu n. præc.

20 Quòd ſi ſeruus ille non ſit emptus pecunia dotali, ſed permutatus cum alia re coniugis alterius: vel emptus pecunia redacta ex venditione alicuius rei alterius coniugis, cùm eius dominium ſit illius, cuius erat illa: vtpote in locum illius ſubrogatæ: (vt cum aliis docet *Gutier. lib. 2. pract. q. 117. n. 2.*) erit liber, quando coniux dominus illius hæreticus eſt. Id tamen obſeruandum eſt, ſi vir cuius eſt ſeruus ille, ſit hæreticus, ſpectandum eſſe an ſit ſoluendo dotem, & alia vxoris bona: iuxta dicta n. 17. Cùm omnia bona viri præſentia, & futura ſint tacitè pro illis hypothecata. Inſpiciendum quoque eſt, an ſint bona viri tacitè, vel expreſsè pro aliis debitis hypothecata, antequam in hæreſim incurreret. Quippe illa omnia præferenda ſunt. Vt eo n. 17. diximus.

21 Tandem ſi non ſit emptus pecunia dotali, nec permutatus cum alia re, nec emptus pecunia redacta ex aliqua re alterius coniugis, ſed emptus alia pecunia alterius coniugis, aut communi: tunc ſi tempore quo datur ſententia hæreſis declaratoria, quo bona coniugum diuiduntur, vt hæretici coniugis bona publicentur, non ſunt lucra vltra capitale vtriuſque, ſeruus eſt viri. Et ideo attendendũ eſt, an ipſe ſit hæreticus, ſitque ſoluendo dotem, & alia bona vxoris, & alia debita, ad quæ eius bona ſunt hypothecata. Et tunc ſeruus erit liber. Si autem ſoluendo non ſit, minimè erit liber, donec ſoluat æſtimationem. (Vt n. 17. explicuimus.) Si verò ſint lucra, & ſeruus cedat in lucrum, vtpote qui completo vtriuſque capitali ſupereſt, (nam ante completum vtriuſque capitale non numeratur inter lucra, quodcunque matrimonij tempore acquiſitum:) tunc erit ſeruus communis vtriuſque coniugis, & tunc vteruter coniux in hæreſim incidat, manet ſeruus pro ea parte, qua alterius coniugis hæretici eſt, liber. Non quòd libertas diuidatur, eſt enim indiuidua, ſed ad hũc ſenſum, vt ſoluendo æſtimationem ſuæ partis coniugi Catholico, manebit omnino liber: at interim manet ſeruus. Iuxta id quod deciditur de ſeruo communi, quando ab altero domino manumittitur: nam ſi ſeruus, vel alius pro eo alteri domino partis ſuæ æſtimationem ſoluat, manebit omnino liber; at dum non ſoluit, manet ſeruus, *l. 1. C. de communi ſeruo manum. & l. regia 2. t. 22. partit. 4. fine.* Et quamuis expreſſis verbis non decidant illæ leges interim manere ſeruum, at expreſsè ex illis colligitur. Nam *ea l. regia 2.* dicitur debere ſolui partem æſtimationis aliis dominis, & ſubditur: *E dende en adelante ſerà libre.* Et ita tenet *ibi Gregor. Lopez v. E dende.* Et *Gloſſa d. l. 1. v. Neceßitatem, & l. 2. v. Fiat, de communi ſeruo manum.* Et eſt textus expreſſus *l. Si ſeruus communis, ff. de vulgari.* Dum autem dicitur ſoluente altero partem æſtimationis manere liberum ſeruum, & cogi alterum dominum acceptare, intelligitur, ſi is tertius ſoluat, vt ſeruus conſequatur libertatem. Quia fauore ſolius libertatis hoc ſtatuitur. Sic *Greg. Lopez ea l. regia 2. v. Otro alguno.* Qui etiam bene notat *ibi verbo E dende*, reliquos dominos non poſſe cogi fidem habere de pretio: ſed ſtatim ſoluendum eſſe.

Atque hoc idem, quod proximè diximus de ſeruo com- 22
muni vtriuſque coniugis, quando alter ſolus in hæreſim incidit, dicendum eſt, quando eſt communis plurium heredum, & eſt hereditas indiuiſa, vel quomodocunque plurium dominorum, & alter in hæreſim labitur. Quia eadem prorſus eſt ratio.

Id demum obſeruandum eſt. Quando ſerua hæretici 23
parit ad diſcernendum an partus ſit liber, videndum eſt an mater, quam partus quoad hoc ſequitur, fuerit propria hæretici, & cõſequenter libera in caſibus expreſſis à n. 16. vſque ad 21. tunc enim cùm ſententia retrotrahatur ad diem commiſſi criminis, ſicut ex tunc mater erat effecta libera, ita & fœtus. Si verò mater non erat libera, donec ſolueret alteri coniugi, aut coheredibus æſtimationem, quorum erat ſerua communis, nec fœtus erit liber: vtpote qui ex ſerua habitus eſt, ſed omnino erit ſeruus. Et cùm ſit poſt hæreſim acquiſitus, dimidia pars ad hæreticum pertinens, erit fiſci. Iuxta dicta n. 14. Si verò mater non erat plurium dominorum, ſed tantùm habet vt non omnimodam libertatem acquirat, donec hæreticus ſoluat, vel alius æſtimationem creditoribus, quibus bona hypothecata erant: exiſtimo fœtum fore liberum. Quia mater verè manſit libera ob domini hæreſim, cuius ſolius erat: nec enim vnquam in aliorum creditorum dominium tranſiit, ſed ſolùm vt pars bonorum domini, erat hypothecata pro illis debitis: ac proinde tranſit in libertatem cum eo onere: ſicut ſi tunc à domino manumitteretur. Atque idem intelligo in caſu expreſſo n. 18. quando, nimirum, ſerua æſtimata ita vt æſtimatio faceret vendicationem, traditur viro in dotem, & poſtea labitur in hæreſim: fœtus enim habitus ex illa ſerua poſt hæreſim viri verè erit liber. Ac proinde quamuis in ſubſidium, & defectum bonorum viri poſſit vxor vendicare matrem, at non poterit filium. Quia (vt eo n. 18. explicuimus) dominium omnino erat viri, quamuis cum eo onere, vt deficientibus bonis tempore reddendæ dotis, poſſet vxor vendicare, donec æſtimatio ſoluatur valoris ſeruæ; vel ſi non integer eius valor deficiat ad complendam dotem, id quod deficit. Ergo cùm dominus hæreticus acquirere nõ potuit dominium fœtus, quia iam mater verè libera erat, nec ius habebit vxor, niſi ad vendicandam matrem. Sicut ſi cenſus eſſet datus in dotem ea æſtimatione quæ facit venditionẽ, deficientibus poſtea bonis ad ſoluendam dotem, vxor ſolum ius haberet vendicandi illum cenſum à quouis poſſeſſore, non autem reditus ab ipſo perceptos. Et clarius exemplum ſit. Si vir tradat in dotem ancillam ſic æſtimatam, & manumittatur à viro, vel à domino, cui vir vendidit, abſque vxoris conſenſu: deficientibus poſtea bonis ad ſoluendam dotem, ſolam ancillam in dotem traditam vendicabit vxor, non autem fœtum tempore manumiſſionis habitum, qui liber eſt.

CAPVT XXV.

Qualiter ob hæreſim, vel apoſtaſiam à fide irregularitas incurratur.

SVMMARIVM.

An hæreſi, vel apoſtaſia ſit per ſe annexa irregularitas? Refertur quædam ſententia, n. 1. Sententia Auctoris, n. 2.

An poſſint hæreticus & apoſtata in ordine antea ſuſcepto miniſtrare? n. 3.

An hæreticus omnino mentalis ſit irregularis, n. 4.

An ficte hæreticus, vel apoſtata, ſiue ſponte, ſiue timore, ſit irregularis? Refertur duplex ſententia, n. 5. Sententia Auctoris, n. 6.

An fautores, defensores, receptatores hæreticorum sint irregulares? n.7.
An solùm sint irregulares, quando hæc beneficia conferunt in hæreticos formaliter? n.8.
An sint irregulares ministrantes sacramenta hæretico? n.9.
An suspecti de hæresi sint irregulares? n.10.
An pactum cum dæmone ineuntes, eum inuocantes, colentes, responsa ab eo petentes, sint irregulares? n.11.
An coacti per inquisitores abiurare de vehementi, sint irregulares? n.12.
Quis dispenset in omnium prædictorum irregularitate? n.13.
Quis cum illis dispenset ad ministrandum in ordine suscepto? n.14.
An virtute Trid. sess. 24. c. 6. de reformat. possit Episcopus dispensare in irregularitate hæretici, vel apostatæ occulti? Refertur duplex sententia, n.15.
Explicatur sententia Auctoris, n.16.
Quid possit circa hanc irregularitatem Episcopus, si ea facultas Tridentini sit reuocata quoad absolutionem ab hæresi? Refertur quædam sententia, n.17. Sententia Auctoris, n.18.
An possint inquisitores ab hac irregularitate absoluere? n.19.
Quis dispenset cum iis, qui timore apostatarunt à fide? Refertur quædam sententia, n.20. Explicatur sententia Auctoris, n.21.
Quid, si ii timore graui, vero animo, apostatarunt à fide? n.22.

1 NON modica est difficultas, an hæresi sit secundùm se annexa irregularitas, ac proinde quamuis hæresis occulta sit, incurratur? Quidam censent hæresi secundùm se non annecti irregularitatem: atque ita hæreticum, vel apostatam à fide, quamdiu notorius non est, siue facti euidentia, siue propria confessione in iudicio, siue sententia iudicis, minimè esse irregularem: sed tantùm quando notorius est aliquo ex his modis. Atque tunc dicunt esse irregularem non irregularitate huius criminis peculiari, sed irregularitate generali, quàm omnia crimina enormia notoria inducunt. Ducuntur autem, quòd nulla irregularitas inducenda sit, nisi iure exprimatur, *c. Is qui, de sententia excommun. in 6.* At si textus omnes à contraria sententia allegati perpendantur, irregularitatē hæresis non exprimunt: aut de hæresi notoria loquuntur. Atque ita docet *Perez lib. 8. ordin. t. 4. l. 3. f. 98. ad fin. primæ partis tractatus hæresis.* Qui minùs bene addit secus esse attento decreto *Tridentini sess. 24. de reform. c. 6.* Quippe id decretum nullam crimini occulto irregularitatem statuit: sed solam Episcopo facultatem dispensandi concedit, quando ob crimen occultum incurritur. Eandem sententiam tenent *Enriquez lib. 14. de irregul. c. 4. n. 6. & c. 5. n. 2. Emmanuel Sà Summa, v. Irregularitas,* vbi de irregularitate ex defectu animæ, *nu. 1. Sayro thesauro casuum tomo 1. lib. 7. c. 12. n. 16. Auila de censuris p. 7. disp. 4. dub. 2.*

2 At verius est, irregularitatem per se annecti hæresi, & ideo hæreticum externum & apostatam, quantumuis occultos, effici irregulares. Ducor, quòd *c. Saluberrimum, & c. Conuenientibus, 1. qu. 7. & c. Nos consuetudine, d. 11.* clerici ab hæresi redeuntes permittuntur in ordine suscepto ministrare, non tamen vlterius ascendere. Quod quidem non ratione infamiæ, sed ob hæresis culpam statutum videtur. Et quamuis in his textibus nulla laicorum mentio fiat: nec etiam suspensionis aut priuationis executionis ordinum iam susceptorum. At Doctores statim allegandi id meritò ad laicos hæreticos, vt nullatenus promoueri ad ordines valeant, extendunt. Quippe hæc promotio non interdicitur clericis hæreticis, eò quòd clerici sint: sed ratione criminis. Atque ideo comprehendit laicos eiusdem criminis participes. Qualiter autem intelligatur posse clericos hæreticos in susceptis ordinibus ministrare, explicabo n. seq. S[illegible]ndò, quia Clemens VII. in quadam constitution[illegible]nti, *Cùm sicut,* qu[illegible]fert *Peña in fine directorij inquisit*[illegible], inter bullas A[illegible]rum, concedit Inquisi[illegible]ibus facult[illegible] dispensandi in irregularitate contrac[illegible] ob hæ[illegible] occultam. Atque adeò supponit irregula[illegible] contrahi ex ipso delicto. Tertiò, quia irregularit[illegible] generalis orta ratione infamiæ consurgentis ex delicto enormi notorio notorietate facti, cessat oblata infamia per publicam vitæ emendam. Vt tenet communis sententia in tractatu de irregularitate. At omnes fatentur irregularitatem hanc minimè cessare post publicam hæretici emendam. Tandem quia ferè omnes DD. asserunt hæreticum esse irregularem irregularitatis specie, quæ ex defectu animæ oritur. Hi sunt *D. Antonin. 3. p. t. 28. c. 6. a initio. Syluest. v. Irregularitas, q. 14. & ibi Armilla n. 85. ad finem. Nauarr. Summæ c. 27. n. 205. vers. 3. Ledesma 2. p. 4. q. 26. art. 2. f. 364. Maiolus lib. 5. de irregul. c. 46. n. 1. Toledo lib. 1. Summæ, c. 28. n. 1. Peña in directorio Inquisitorū 3. p. q. 126. commento 175. & qu. 113. commento 162. ad finem. Valentia 4. tomo, disp. 7. q. 19. puncto 3. in 3. specie irregularitatis. Philiarcus de officio sacerdotis, to. 1. p. 1. lib. 4. c. 9. Viualdus candelabro Sacramentorum, in penult. edit. 2. p. tractatu de irregular. n. 71.* Et loquentes de apostata à fide docent *Syluest. v. Irregularitas, q. 5. n. 7. & ibi Angelus n. 27. Armilla n. 83. Tabiena v. Irregularitas, 4. q. vlt. Sotus 4. d. 25. q. 1. a. 3. col. 8.* At quando ratione solius infamiæ incurritur irregularitas, nullus Doctor simpliciter affirmat ratione illius criminis incurri: nec appellat eam prouenientem ex defectu animæ. Sentiunt ergo prædicti ex se, & ratione criminis hæresis hanc irregularitatem incurri: ac subinde nil referre, siue publica, siue occulta sit hæresis. Atque ita in propriis terminis docent *Syluester v. Crimen, q. 2. n. 3. Azor tom. 1. lib. 8. instit. moral. c. 11. q. 13. & c. 21. q. 8. Suarez 5. to. in 3. p. disp. 43. sect. 1. n. 4.*

3 Obseruandum tamen est, textus (vt n. præced. dicebam) non expresè interdicere clericis executionē ordinis iam suscepti, quando postea in hæresim lapsi sunt. Sed in eis dicitur permitti clericis ministrare in illo ordine. Atque eodem modo loquuntur *Angelus v. Irregularitas, n. 28. & ibi Syluest. q. 5. n. 7.* vbi dicunt hos clericos posse post pœnitentiam, & abiurationem hæresis in ordine suscepto ministrare: at in suscipiendis tam clericos, quàm laicos esse irregulares. Quod non est ita accipiendum, vt liceat illis absque dispensatione in ordine suscepto ministrare. Sic enim non esset absolutè verum hæreticos esse irregulares. Cuius contrarium diximus n. præced. Atque expresè *Sotus, & D. Antonin. Toledo. Suarez ibi relati, & Syluest. v. Crimē, q. 2. n. 3. Greg. Lopez l. 32. v. Pecado, t. 5. partit. 1.* dicunt clericum hæreticum deuci etiam post pœnitentiam ab ordinis suscepti exercitio. Quare intelligendi sunt textus & Doctores, vt permittatur ex dispensatione in ordinibus susceptis ministrare: secùs dispensatione non priùs obtenta. Atque ita docent *Maiolus lib. 5. de irregular. c. 46. n. 2. Suarez 5. to. in 3. part. disp. 43. sect. 1. n. 2. Peña in directorio Inquisitorum, 3. p. q. 113. commento 162. ad fin. Azor lib. 8. instit. moral. c. 11. q. 13.* Sed obiicies etiam posse ex dispensatione ad vlteriores ordines ascendere: & sic perperam discrimen constituerent textus, dicentes non posse hunc ascendere, at permitti in susceptis ministrare. Sed dico discrimen explanandum esse n. 14.

4 Quando tamen hæresis in sola mente retinetur, manifestum est ob eam minimè incurri irregularitatem. Quòd tanquam penitus occulta, iudicio Ecclesiæ imponentis hanc censuram subdi nequeat. Ita *Nauar. Summa c. 27. nu. 249. Suarez d. sect. 1. n. 3. Philiarcus de officio sacerdotis, to. 1. p. 1. lib. 4. c. 15.* Et (ni fallor,) de hac intelligit *Greg. Lopez n. præced. allegatus*, dum ait ob hæresim notoriam, vel probabilem incurri irregularitatem, secùs si omnino occulta sit.

5 At dubitatur, an fictè negans fidem, fictéue ab ea apostatans, siue sponte, siue timore ductus, incurrat irregularitatem? Quibusdam placet hos peculiari irregularitate non affici: atque ita eam non incurrere, si crimen occultum sit: sed solùm quando crimen hoc est manifestum, dicunt eos incurrere irregularitatem, quæ contrahitur ob crimen enorme notorium. Quia nullus est textus peculiari irregularitate afficiens hos. Nec incurrunt irregularitatē hæreticis & apostatis statutam, de qua egimus n. 2. Quia hi nec veri hæretici, nec veri apostatæ sunt: ac proinde illa irregularitate, sicut & excommunicatione liberantur. Atque ita de ficto spontaneo apostata tenet *Azor to. 1. lib. 8. instit. moral. c. 11. q. vlt.* Et idem tenet de ficto apostata ob grauem timorem *eodem lib. 8. c. 21. q. 8.* Quod idem videtur tenere *Nauar. lib. 5. consil. tit. de hæretic. in 1. edit. toto consil. 3.* & maximè *in fine. in 2. toto consil. 9.* & maximè *in fine*, ait enim qui ob grauem timorem etiam in hæreticorum locis hæretica facta publicè exercuere, vt frangere cruces, esse irregulares in vtroque foro ob crimen notorium

rium enorme. Aliis autem placet non esse hos irregulares, quando timore graui ducti id fictè fecere. Quia etsi lethaliter peccarint contra ius diuinum: at cùm Ecclesia irregularitatem imponat, nec suis præceptis obliget cum mortis periculo: excusabit hoc ab ea irregularitate. Sicut remigantes in triremibus Turcarum excusant aliqui ob hanc causam ab excommunicatione, non tamen à peccato. Quos retuli lib. præced. c. 7. num. 18. Ita tenent aliqui, quos tacito nomine refert *Azor to. 1. lib. 8. instit. moral. c. 11. q. fin.* At si hæc ratio esset alicuius momenti, idem vtique probaret, quamuis hi vero animo ob timorem grauem apostatarent. Nec est simile de remigibus: vtpote qui opus ex se indifferens exercent. Hi autē opus intrinsecè malum.

6 At verius existimo, eos esse irregulares, siue sponte, siue metu graui, fictè negent fidem, aut ab ea apostatent, & hoc irregularitate speciali, & propria eius criminis: quamuis non incurrant propriam hæretici, vel apostatæ à fide irregularitatem: vtpote qui tales verè non sunt. Hoc solet probari ex *can. 6. Apostolorum.* Sed is canon de solis clericis loquitur, & solam excommunicationem ferendam continet. Sed melius probatur ex *Concilio Ancyrano c. 1. & 2.* & refertur *c. Presbyteros, d. 50.* Qui textus de fictis apostatis videtur apertè loqui. Nam postquam dixit, immolantes idolis ex graui timore, arcendos esse ab ordinibus: ait secùs esse de laicis, qui cùm clamarent se Christianos esse, vi præcisa coacti sunt immolare. Quippe eos ait ab hac pœna eximi: eò quòd culpæ immunes sint. Ergo in priori parte comprehendit fictos apostatas ob timorem, qui re vera cùm non vi præcisa, sed solo timore compellantur, non sunt à culpa liberi. Et ideo hanc sententiam sustinent *Maiolus lib. 5. de irregularitate, c. 34. n. 2. Viualdus candelabro sacrament. in penult. edit.* vbi de irregul. *nu. 88. Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 43. sect. 2. n. 2.* dicens, etsi is textus loquatur de solo offerente sacrificium idolis, eum tamen idem velle decidere de negantibus fidem quocunque alio signo externo. Quod is textus culpam recessus à fide ob timorem ponderet. Refert etiam *Suarez* pro hac sententia *Angelum v. Irregularitas, n. 27. & ibi Syluestrum q. 5. nu. 7. Armillam nu. 83. Tabienā v. Irregularitas, 4. q. vlt.* At hi auctores non explicāt se loqui de fictis apostatis: imò *Angelus & Syluest.* quos *Tabiena & Armilla* videntur sequi, de veris apostatis loquuntur. Quia statim subdunt eos esse veros hæreticos. Quod de fictis apostatis non verificatur.

7 Hæc autem irregularitas in hæreticos lata extenditur quoque ad receptatores, fautores, defensores hæreticorum. Et quamuis *Enriquez lib. 14. de irregul. c. 4. n. 6. & Emmanuel Sà in Summa, v. Irregularitas,* vbi de irregularitate ex defectu animæ, *n. 2.* hoc limitent, (sicut & de ipsis hæreticis limitant,) quando hi sunt notorij, aut per sententiam damnati. Et sic censent eos non affici peculiari irregularitate. At verius est, peculiarem incurrere: & sic eam non euadere, quantumuis occulti sint. Sicut n. 2. de ipsis hæreticis diximus. Atque ita expresè videntur tenere DD. qui indistinctè & generaliter æquiparant hos hæreticis quoad irregularitatem ex defectu animæ prouenientem contrahendam. Idque probant ex speciali textu *c. 2. §. Hæretici, de hæretic. in 6.* Hi sunt *Nauar. Ledesma, & Valentia n. 2. allegati. Maiolus lib. 5. de irregul. c. 46. num. 4.* Et tenet expresè *Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 43. sect. 2. nu 5.* nam *ibi in fine* ait hos omnino æquiparari hæreticis quoad irregularitatem: & omnia dicta de hæreticorum irregularitate in his locum habere. At *ipsemet* dixerat *ead. disp. sect. 1. n. 4.* hæreticos occultos esse irregulares. Et optimè *ea sect. 2. n. 5.* ponderat ad hoc probandum *id cap. 2. §. Hæretici*, vbi æquè hæretici, & omnes eorum receptatores, fautores & defensores, redduntur inhabiles ad omne beneficium, & officium publicum. Quippe nomine officij publici non est cur sola temporalia intelligantur, sed etiam Ecclesiastica: inter quæ ordinum officia computantur: eo vel maximè quod hæc publica quoque sint.

8 Qui autem sint hi fautores, receptatores, & defensores, satis diximus hoc 2. lib. c. 10. à n. 4. vsque in finem. Atque sicut ibi num. 4. & 5. diximus hos tantum incurrere excommunicationem, quando hæc beneficia conferunt in hæreticos formaliter, id est, ea ratione quia hæretici sunt. Ita idem ad hanc irregularitatem incurrendam desideratur. Quia eædem prorsus militant rationes. Et docet *Suarez n. seq. allegandus.*

9 Eandem irregularitatem extendit *Maiolus n. 7. allegatus,* ad ministrantes sacramenta hæretico; & refert *Speculatorem & Bernardum Diaz.* Qui tamen id non ait, (vt bene expendit *Suarez 5. to. in 3. part. disp. 43. sect. 2. n. 6.*) quare dicendum est cum *Suarez ibi* hos non incurrere, nisi ministrarent Sacramenta hæretico nondum conuerso, vt illi fauerent, non tantum vt excōmunicato, sed vt hæretico. Tunc enim incurrerent irregularitatem fautorum hæretici.

10 Insuper hæc irregularitas extenditur ad suspectos de hæresi. Vt tradunt *Maiolus lib. 3. de irregul. c. 17. n. 2. Enriquez lib. 14. de irregular. c. 4. n. 6. fine. Suarez 5. to. in 3. part. disp. 43. sect. 2. n. 8. & 9.* Qui bene aduertit *eo num. 9.* interdum hanc suspicionem proficisci ex crimine includenti cooperationem ad hæresim. Vt si quis sit fautor, receptator, aut defensor hæretici. Et tunc ait huius criminis reum incurrere peculiarem irregularitatem fautorum, iuxta dicta num. 7. Nec erit (inquit) dicendum hunc incurrere duplicem irregularitatem, si id crimen notorium sit: alteram ratione fauoris, alteram verò ratione infamiæ. Sicut nec hæreticus, aut homicida notorius duplicem incurrit. Quia ex duplici eo titulo incurritur irregularitas per modū vnius. Quamuis enim vtraque ratio sit per se sufficiens ad irregularitatem: at cùm per se imposita sit ob tale crimen, quod habet per se coniunctam talem suspicionem, vel infamiam, censetur propter vtramque rationem imposita. At quando suspicio hæresis oritur ex alio crimine, siue sit suspicio facti, quia nimirum factum est tale, vt absque aliqua iuris dispositione eam suspicionem inducat; siue sit iuris, quia, scilicet, ius in eo casu disponit, inde hæresis præsumptionem sumi: vt *Tridentinum sess. 25. de reform. c. 3.* eam ex annua in excommunicatione perseuerantia præsumit. Tunc non incurritur peculiaris irregularitas ex natura suspicionis huius, nec in eo pœna criminis: sed solum ratione indecentiæ ob infamiam quando id crimen notorium est. Ita docent *Enriquez eod. n. 6. fine. Suarez eod. n. 9. & 10.* qui bene *n. 9.* inde infert ablata ea infamia, & purgata suspicione auferri irregularitatem hanc. Vt communiter tradunt Doctores in tractatu de irregularitate, quando ea ex sola criminis notorietate oritur.

11 Hinc deducitur primò, ineuntes pactum cum dæmone, aut eum inuocantes colentesúe, aut responsa ab eo petentes, absque tamen intellectus errore constituentis eos hæreticos, non innodari peculiari aliqua irregularitate huic crimini statuta: sed quia crimen hoc hæresis suspicionem inducit, quando fuerit notorium, inducet irregularitatem n. præced. explicatam. Ita *Suarez ead. sect. 2. fine.*

12 Secundò deducitur, quid dicendum sit de iis, qui tanquam de hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi. *Azor to. 1. lib. 8. instit. moral. c. 21. q. 8. fine,* ait hos esse irregulares ratione suspicionis vehementis de hæresi, & notoriæ quidem. At dicendum est, nullatenus esse irregulares, nec inhabiles ad officia & beneficia. Vt bene docent *Nauar. lib. 5. consil. t. de hæretic. in 1. edit. toto cons. 5. & 6. in 2. toto consil. 18. & 19. Flaminius de resignat. benef. lib. 4. q. 3. n. 17. Enriquez lib. 13. de excommun. c. 56. nu. 1. Emmanuel Sà Summa, v. Hæresis, n. 5.* Nec horum beneficia vacant virtute motus proprij Pij V. decernentis va[illegible] hæreticorum beneficia, & ad [illegible]spositionem Aposto[illegible]icam pertinere. Quia hi no[illegible]unt hæ[illegible]etici. Vt bene do[illegible]ent *Nauarr. & Flaminius ibidem.* Secùs ta[illegible] erit, (vt rect[illegible] tradunt *Nauar. & Manuel Sà eisdem locis*) si hi [illegible]uam [illegible]eri hæretici cogantur abiurare. Tunc enim incurren[illegible]egularitatem peculiarem hæreticorum. Quod optimè explicat *Nauar.* dicens dupliciter cogi quempiam abiurare. Prior modus est, quando hæresis est probata, & ideo tanquam hæreticus cogitur eam abiurare, iurando se nunquam ad eam rediturum. Et tunc fit irregularis & inhabilis ad officia & beneficia. Quia tanquam verus hæreticus damnatur. Posterior

rior modus est, quando hæresis non probatur, at maximæ præsumptiones hæresis adsunt: & tunc quo se ab iis suspicionibus purget, cogitur de vehementi abiurare: nutrans se nec in illam incurrisse, nec vnquam incursurum. Et tunc non damnatur tanquam hæreticus, nec imponitur ei aliqua pœnitentia ob hæresim: sed ob ea gesta, ex quibus hæresis suspicio orta est: à qua se purgat, & ostenditur innocens per eam abiurationem. Et ita non manet irregularis, nec inhabilis. Quia irregularitas ex hæresis suspicione orta deletur purgata infamia, & ea suspicione. Vt nu. 10. diximus.

13 Tandem de dispensatione irregularitatis ob hæresim incursæ dicendum est: Communiter Doctores tradunt solius Pontificis esse dispensare. Ita *Angelus v. Irregularitas, n.28 & ibi Sylvester q.5.n.7. Nauar. Peña, Ledesma, Philtarcus, Valentia allegati nu.2. Azor tom.1.lib.8.instit.moral.c.21.q.8. Suarez 5.to.in 3.p.disp.43.sect.1.n.6.* Atque idem dicendum est de dispensatione irregularitatis fautorum, receptatorum, & defensorum hæretici. Quia eadem irregularitate, qua hæretici, afficiuntur. Et ita docent *Nauar. Ledesma, Valentia, Philtarcus ibid.* Et idem clarè tenet *Suarez tom.3.disp.43. sect.2.n.5.fine*, ait enim omnia dicta de irregularitate hæreticorum, dicenda esse de horum irregularitate. At in priori irregularitate dixerat solum Papam posse dispensare.

14 Hoc autem intelligitur quoad promotionem ad superiores ordines, si lapsus in hæresim sit clericus, vel quoad promotionem ad omnes ordines, si sit laicus: at quoad vsum ordinum iam susceptorum potest Episcopus dispensare cum hæreticis ad fidem reductis. Quia (vt n.3. diximus) textus permittunt ex dispensatione hos clericos in susceptis ministrare. At canon dispensationem permittens, eò ipso illam censetur Episcopo concedere. (Vt probaui lib.8.de matrim.disp.5.n.1.) Atque ita tenent *Suarez dict.disp.43.sect.1.n.6.* Vbi hoc limitat, nisi quoad vsum sacerdotij in sacrificio altaris. Quippe cùm hoc sit res grauissima, videtur Pontifici reseruari: eo vel maximè quod Peña *in directorio Inquisitorum.3.p.qu.12.6. commento 175.* refert Pium V. anno 1567. inhibuisse generali Hispaniæ Inquisitori, ne posset habiles reddere hæreticos presbyteros, vt in altaris ministerio deseruirent. Atque idem bene ait *Suarez* de dispensatione cum Episcopo hæretico quoad Pontificalium vsum. Et maximè cum Episcoporum causæ in causa hæresis sint Papæ reseruatæ. *c. Inquisitores, de hæret.in 6.*

15 Dubium autem graue est, an si hæreticus, vel apostata sit occultus, possit Episcopus in eius irregularitate dispensare virtute decreti *Trid.sess.24.c.6. de reform. Maiolus lib.5. de irregular.c.26.n.6.* ait *Tridentinum* in eo decreto concedere facultatem Episcopo ad absoluendum ab hæresi occulta: non tamen ad dispensandum in ipsius irregularitate. Et quamuis id non probet, eius fundamentum esse potest. Quia in generali casuum concessione non venit hæresis, vtpote quæ speciali expressione indiget. (Vt diximus c.13.n.10.) At in sola facultate absoluendi concessa in eo decreto eximitur hæresis. At *Suarez tom.5.in 3.p.disp.43. sect.1.n.7.* hoc impugnat. Nam in priori illius decreti parte generaliter tribuitur Episcopo facultas dispensandi in irregularitate ex delicto occulto. Et in fine ita concluditur: *Idem & in hæresis crimine.* Quæ verba ad vtramque facultatem extendenda sunt. Cùm enim fauorem contineant, amplianda sunt: eò vel maximè, quod hunc sensum admittant, imò requirant. Vnde ait hanc facultatem concedi ibi Episcopo cum eisdem limitationibus, cum quibus conceditur absolutio. Nempe [illegible] cientiæ foro, & per se, non autem per accidens id possit. Quæ tamen limitationes non intelliguntur in facultate dispensandi quoad reliquos [illegible] eo decreto concessa. Vt ex mente eiusdem Suarez [illegible]mus nu.11.n.12.

16 At neuter dicendi modus mihi placet. Credo enim absolutè, & sine prædictis limitationibus concedi facultatem in eo decreto Episcopis dispensandi in irregularitate contracta ex hæresi occulta: sicut & in aliis, quæ ex delicto occulto prouenium. Nec ea verba, *Idem & in hæresis crimine*, referuntur ad priorem partem, in qua de facultate dispensandi est sermo: sed ad solam posteriorem de excommunicationis absolutione tractantem. Ducor, quod, etsi expressa hæresis mentio desideretur, vt eius absolutio cõcessa censeatur, propter maximam eius reseruationem, & expressam Pontificum intentionem. At non video, cur dispensatio in eius irregularitate hanc expressim mentionem postulet. Cùm ea speciali reseruatione minimè afficiatur: imò (vt n.1.2.& 3. vidimus,) valdè dubia sit irregularitas hæresis occultæ. Et ideo *Tridentinum* in priori illius decreti parte concedens Episcopis facultatem dispensandi in casibus occultis, non expressit, etsi ii sint Pontifici reseruati, nec hæresim, quasi intelligens comprehendi sub generali dispensandi concessione. At in posteriori parte agens de absolutione, volens non tam amplam facultatem concedere, sed eam restringere pro solo foro conscientiæ, expressit casus Pontifici reseruatos: & specialiter meminit hæresis. Tum quia eius absolutio sub generali concessione minimè cõtinetur. Tum etiam vt restrictius eius absolutionem concederet: nempe, vt per Episcopum, & non per vicarium impendenda sit. Præterea, quia cùm ea verba fauorem contineant, non restringenda, sed potius amplianda sunt. At restringerentur relata ad omnia præcedentia. Cùm facultas dispensandi in priori parte absque iis limitationibus concessa sit. Tandem quia ipsemet contextus Tridentini clarè videtur persuadere ea verba ad proximè dicta de absolutione referri. Cùm iam priorem partem, in qua de dispensatione erat sermo, omnino absoluisset: & transisset ad concedendam absoluendi potestatem.

Difficultas autem in eo potissimùm consistit, an retenta opinione asserenti id decretum reuocatum esse quoad potestatem concessam Episcopo absoluendi ab hæresi occulta, censeatur quoque reuocatum quoad facultatem dispensandi in eius irregularitate; *Suarez n.15 relatus* censet probabilissimum esse reuocatum esse: & ita solum Pontificem posse in ea dispensare etiam quoad vsum ordinis antea susceptum. Ducitur, quia *c. Cùm illorum, § Primos si fuerint, de sententia excommun.* generaliter traditur Episcopos non habere facultatem dispensandi in iis casibus, in quibus est eis absolutio interdicta. Atque ted ditur ibi ratio. Quod maiora intelligantur denegata minoribus denegatis. Vbi *Glossa v. Minora, Abbas n.2 notabili 3. Felinus n. vnico, notab.1.* aduertunt potestatem dispensandi maiorem vocari, quàm potestatem absoluendi, atque illam interdictã censeri hac interdicta. Si ergo potestas absoluendi ab hæresi occulta est hodie Pontifici reseruata, & quoad eam est reuocatum id Tridentini decretum: idem censendum erit de potestate dispensandi in irregularitate prouenienti ex ea.

17 Fateor argumentum vrgens esse, & ideo meritò id dixisse probabilissimum. At videtur innuere oppositum quoque esse probabile. Quod & mihi probabilius est: nempe, posse Episcopum virtute eius decreti dispensare in irregularitate hæresis, vel apostasiæ à fide, quando occulta sunt. Quod absque dubio dicendum videtur, si teneamus opinionem dicentem id decretum non esse reuocatum quoad potestatem absoluendi ab hæresi. Quod contra Maiolum fatetur *Suarez.* (Vt n.15. vidimus.) Et tenent *Enriquez lib.14.de irregul.c.5.nu.2. Perez lib.8.ordinam. r.4.l.3.fol.98. ad finem primæ partis tractatus de hæresi. Vitalduus in candelabro sacram. in penult. editione 2 p.* vbi de irregularitate, *n.70.& 89.* Quamuis autem DD. hi non limitent, si Tridentini facultas ad absoluendum non sit reuocata. At ipsi sunt in ea sententia, vt non reuocata sit. Quod si teneamus reuocatam esse eam absoluendi ab hæresi occulta facultatem: adhuc probabilius mihi est, posse Episcopum in eius, aut apostasiæ occultæ irregularitate dispensare, virtute eius decreti. Ducor, quod valdè diuersa sit ratio ob strictissimam absoluendi ab hæresi reseruationem. Qualem circa dispensationem minimè inuenimus. (Vt aduertimus n.16.) Vnde potestas dispensandi in hac irregularitate adeò dubia, non potest appellari in hoc casu maior

maior quàm potestas absoluendi à censura excommunicationis tam strictè reseruata. Et hinc constat solutio ad textum pro contraria parte valdè vrgentem. Qui intelligitur regulariter, quia regulariter maior censetur dispensandi, quàm absoluendi potestas. Atque huic sententiæ fauent *Enriquez & Vitalduus proximè allegati.* Cùm absolutè dicant posse Episcopum dispensare, nec id in dubium vocent: cùm tamen eos non lateret esse sub iudice, an potestas absoluendi duret.

19 Rursus de Inquisitoribus dubitari potest, an habeant facultatem dispensandi in hac irregularitate hæresis occultæ? Quia constitutio Clement. VII. cuius memini hoc 2. lib.c.12.n.1. expressè id concedit illis pro solo conscientiæ foro. Et tenent eos posse *Mandosius de signatura gratiæ, v. Absolutio ab hæresi, initio. Lælius Zecchus in Summa, tractatu de fide, c.11.n.16.in 12 pœna hæreticorum. Enriquez lib.14. de irregular.c.18.n.2.* vbi idem dicit per id priuilegium, de irregularitate incursa ob violatas censuras, modò non fuerit in contemptum clauium. Sed dicè dum est non posse. Quod tradunt *Peña in directorio 3.p.q.126.comment.175. Suarez 5. tom.in 3.part.disp.43.sect.1.nu.5.* Quia vel ea constitutio est reuocata quoad hoc, vt ait *Peña ibi.* Vel quod sit personalis, & non perpetua, nec vsu recepta. Vt ait *Suarez.*

20 Insuper difficultas est, quis dispenset in irregularitate cum apostatis à fide. *Angelus v. Irregularitas, n.27. & ibi Sylvester q.5.n.7.* sic distinguunt. Si timore graui ducti apostatarunt, & sunt sacerdotes, solus Pontifex dispensat. Si autem inferioris ordinis aut laici, Episcopus. Ac si sponte apostatarunt, cum nullis Episcopus dispensat. Quod idem sentire videntur *Armilla v. Irregularitas, num.83. & Tabiena v. Irregularitas, 4.num.vlt.* Dicunt enim generaliter solum Pontificem posse cum sacerdotibus dispensare: at cum aliis posse Episcopum. Et clarè prædicti auctores intelligunt posse Episcopum dispensare cum non sacerdotibus, non tantum quoad vsum ordinis suscepti, sed etiam quoad promotionem ad vlteriores. Quia etiam cum laicis dicunt posse Episcopum: at cum iis nulla potest esse dispensatio, nisi vt promoueantur. Atque de omnibus non sacerdotibus loquuntur eodem modo, quo de laicis. Et probant ex *c. Presbyteros, d.50.* Et videntur loqui de verè apostatantibus. Vt dixi in *c.6.*

21 At (vt n.6. probaui,) textus ille intelligitur de apostatantibus fictè. Et (vt optimè perpendit *Suarez 5 tom.in 3. part.disp.43.sect.2.n.3.& 4.*) nulla conceditur ibi facultas Episcopo dispensandi cum laicis, qui ob prædictum timorem apostatarunt: nec cum quibuscunque clericis, vt ad superiores ordines ascendant: sed cum solis non sacerdotibus, vt in susceptis ordinibus ministrent. Quod ex verbis textus constat. Atque ita bene concluditur ibi, huius irregularitatis fictè apostatantium ob timorem, dispensationem solius Pontificis esse, quoad promotionem omnino ad ordines, vel ad superiores ordines. Et similiter quoad vsum sacerdotij. Et similiter quoad omnia cum iis, qui sponte sic apostatarunt. At potest (inquit) Episcopus dispensare ex graui aliqua causa cum iis, qui timore graui ducti apostatarunt, quoad vsum inferiorũ ordinum. Quod intelligo nõ tantum cum eõstituris in inferioribus ordinibus, sed etiam cum sacerdotibus sic apostatantibus. Quia etsi textus id concedens loquatur de diaconis: at cùm loquitur de presbyteris, solum dicit, vt non liceat eis fungi ministerio aliquo sacerdotij. In quo apertè permittit posse inferioribus ordinibus fungi. Et non potest intelligi absque dispensatione. Quia essent melioris conditionis quàm diaconi apostatantes: cùm tamen grauius delinquant. Quare textus debet intelligi, vt permittatur ex dispensatione. Et sic cùm dispensatio sit permissa, intelligitur concessa Episcopo. (Vt nu.14. diximus.) Insuper aduertit bene *Suarez eo nu.3.* id esse speciale in hac irregularitate sacerdotis apostatantis ob timorem, vt inducat etiam suspensionem à prædicationis munere. Quia in *eo c. Presbyteros*, exprimitur. Quamuis aliàs non sit intrinseca irregularitati, eò quòd officium prædicandi non sit in rigore actus ordinis.

De iis autem, qui vero animo ob timorem à fide apostatarunt, cùm is textus non loquatur de illis, sed de fictè apostatis, iudicandum est quoad dispensationem irregularitatis, iuxta dicta n.13. & 14. de dispensatione irregularitatis aliorum hæreticorum. Cùm hi veri hæretici sint. 22

CAPVT XXVI.

De infamia ac beneficiorum priuatione, & inhabilitate ad ea, quæ incurrunt hæretici, fautores, defensores, ac receptatores eorum.

SVMMARIVM.

An hæreticus ante sententiam incurrat infamiam iuris, & sit inhabilis ad officia & beneficia n.1.

Quid, si crimen hæresis sit notoriũm n.2.

An eam incurrant fautores, defensores, receptatores hæreticorum n.3.

An collatio beneficij facta hæretico & omnibus his, sit ipso iure irrita, ac teneantur fructus restituere n.4.

An hæretici sint iure priuati beneficiis ante hæresim adeptis? Refertur quædam sententia, n.5. Sententia Auctoris, n.6.

An exigatur iudicis sententia, vt beneficium teneatur hæreticus dimittere, quod ante hæresim acquisierit n.7.

An exigatur eius sententiæ executio n.8.

An possit hæreticus id beneficium resignare, antequam condemnetur? n.9.

An lata sententia sit priuandus fructibus antea perceptis: Et quicunque priuatur ipso iure beneficio, amittat fructus ante sententiam? n.10.

An si ante sententiam debite ministrarunt beneficio, possit retinere fructus suo ministerio debitos? n.11.

An beneficia hæretici, & cuiuscunque, qui illis priuatur ipso iure, possint alteri conferri, & tanquam vacantia impetrari: & ad ea patronus præsentare, possessore non citato? n.12.

An hæreticus pœnitens, vel qui statim conuertitur, priuetur beneficio? n.13.

An suspecti, vel diffamati de hæresi, amittant ipso iure beneficia? n.14.

Quid de receptatoribus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum? n.15.

An omnes hi possint in alterius fauorem renunciare? n.16.

CIrca infamiam *Peregrinus de iure fisci lib.5.t.1.n.172. vers. Notandum tamen. Castro lib.2. de iusta hæret.punit.c.9. & Azebedo lib.8.recopil.tit.3.l.3.n.32. Aragon 2.2.q.11.a.3.fol.353.* dicunt hæreticos esse ipso iure infames ante omnem iudicis sententiam. Tum quia infamia est ipso iure irrogata. Tum etiam, quia hæc pœna in priuatione, non in actione consistit. At pœnæ in priuatione consistentes non indigent iudicis sententia. At verius est, hæreticum hac pœna non affici, nisi post sententiam iudicis declaratoriam. Sicut quamuis à die commissi criminis perdat hæreticus bonorum dominium; at non renetur ad earelinquenda, donec sententia iudicis declaretur hæreticus. Nec est opus sententia condemnante ad bonorum amissionem. Ita est hæreticus sit ipso iure infamis; at infamiam hanc non incurrit, donec eius crimen declaretur. Ea autem declaratione præcedenti infamis est, etsi in sententia non condemnet eum iudex, vt infamem. Sic docet *Azor* latiùs probans *to.1 lib.8.instit.moral.c.13.post q.8.in 7. hæreticorum pœna.* Eiusdem sententiæ videtur *Simancas de Cathol.instit.t. 9.n.205.* vbi ait posse dici hæreticos non arceri ab Ecclesiasticis beneficiis, vsque ad sententiam. Et *Castro lib.2.de legepœnali, c.15.fine*, vbi ait occultum hæreticum non incurrere infamiam iuris, vel facti; & sic non esse inhabilem ad beneficium, vel officium assequendum. Hoc autem intellige ratione infamiæ. Nam ratione excommunicationis, & irregularitatis erit inhabilis ad beneficium, & officia ordinum exercenda. 1

Si tamen crimen hæreticum notorium fuerit notitia euidentia facti, contrahet hæreticus inhabilitatem iam facti, quæ per contrarium factum aboletur, non tamen infamiam iuris, vsque ad sententiam. Ita *Azor n.præced allegatus.* 2

Eadem infamia ipso iure afficiuntur receptatores, fautores, defensores hæreticorum, si intra annum satisfacere neglexerint, *c. Excommunicamus, el 1.§. Credentes, de hæret.* Et id intelligitur, quando hæc præstant in hæreticos formaliter. Iuxta dicta c.10.n.4.& 5. 3

Circa priuationem autem beneficiorum, constat collationem 4